

Titum, cap. III. *Cum apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus, secundum spem vitæ æternæ* (1). Ex verbis illis postremis: *Ut justificati gratia ipsius, etc.*, intelligimus, in verbis superioribus descriptam esse justificationem, ita ut secundum Apostoli sententiam, justificatio sit regeneratio et renovatio, Dei benignitate, per lavacrum Baptismi et effusionem Spiritus sancti, in nobis facta.

Hanc autem regenerationem, et renovationem, quæ est ipsa justificatio, formaliter fieri per donum aliquod inhærens, tribus argumentis probari potest. Primo, ex ipsa natura et ratione regenerationis; neque enim intelligi potest, quemadmodum regeneretur aliquis, sine ulla sui mutatione, per solam Dei benevolentiam, in ipso Deo existente; vel per solam extrinsecam justitiæ alterius imputationem. Nam certe regeneratus, diligitur ut filius, cum antea odio haberetur, ut inimicus, igitur mutatio aliqua facta est; non potuit autem in Deo fieri, igitur in homine facta est. Ac per hoc regeneratio aliquid in ipso homine ponit, ob quod filius Dei nominetur et sit.

Deinde, idem probatur ex causis hujus renovationis, quas hoc loco idem Apostolus numerat. Nominatur enim benignitas Dei, quæ est efficiens causa; Christus, qui est causa meritoria; lavacrum Baptismi, quod est causa instrumentaria; effusio Spiritus, sive Spiritus effusus, qui est causa formalis. Per effusionem autem Spiritus, sive spiritum effusum, nihil rectius intelligitur, quam primum ejus donum, quod est charitas, quæ idcirco etiam dicitur diffundi in cordibus nostris.

Denique idem probatur ex confessione adversariorum; fatentur enim etiam ipsi, esse in nobis inhærentem aliquam renovationem per Spiritum sanctum, sed negant eam proprie esse justitiam, aut per eam nos absolute justificari, et ideo confugiunt ad Christi justitiam imputatam. At Apostolus hanc ipsam renovationem justificationem appellat, ut ostendimus. Id enim significat illud: *Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus, secundum*

spem vitæ æternæ. Reddit enim causam, cur nos Deus per lavacrum et spiritum sanctum regeneraverit, ac renovaverit; et ait, causam fuisse, ut justificari, id est, ut per eam regenerationem, et renovationem justificati, hæredes regni, ac vitæ sempiternæ effici mereamur.

Quintum testimonium est, ad Hebr. XI. ubi testatur Apostolus, aliquos homines fuisse vere et absolute justos; nam de Abel scribit: *Testimonium consecutus est, esse justus*. De Noe: *justitiæ, quæ per fidem est, hæres est constitutus* (2). Isti certe et alii eorum similes, vere justii erant, nec justii imperfecte et inchoate, sed absolute et perfecte. Neque enim Scriptura justos absolute vocaret eos, qui absolute justii non essent. Quid? quod etiam perfectos et immaculatos appellat? Nam Gen. VI. de Noe dicitur: *Noe vir justus atque perfectus fuit*. Et David in Psal. CXVIII. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini* (3).

Porro hæc eorum justitia non erat justitia Dei inhabitans, aut justitia Christi imputata, sed justitia in illis inhærens et propria. Nam Apostolus ostendere volens, unde Abel justitiæ testimonium consecutus esset, ait: *Testimonium perhibente Deo, muneribus ejus*. Ubi videmus, probari justitiam Abelis, ab effectu ipsius justitiæ. Nam ut ait sanctus Joannes in epist. I. cap. III. *Qui facit justitiam justus est* (4). Itaque probat Apostolus, Abelem fuisse justum, quia justa opera faciebat, cum Deo rite sacrificaret. Justii autem operis causa, est justitia inhærens, non imputatio justitiæ, quæ cum extrinseca sit, principium operis esse non potest. Sic etiam Noe fuisse justum, probat ibidem Apostolus, quia credidit Deo, timuit judicium Dei, obedivit mandatis Dei. Et in Genesi, cap. VI. dicitur fuisse justus, quia ambulavit cum Deo. Quomodo etiam probat S. Lucas, cap. I. Zachariam et Elisabetham fuisse justos coram Deo, quia incedebant in omnibus mandatis et justificationibus Domini.

Sextum testimonium est Apostoli ad Roman. VIII, et I ad Corinth. XV. ubi dicit, justos conformes esse imagini Christi, et portare imaginem Christi: *Quos, inquit, præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui; ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et sicut portavimus imaginem terreni, ita portemus et imaginem cælestis* (6). Christus autem

CAPUT IV.

Fidem non esse integram formalem causam justificationis.

Hactenus communibus argumentis probatum est, causam formalem justificationis nostræ esse justitiam inhærentem: ex qua sententia refelluntur quinque illi errores, quos supra notavimus, nunc seorsim singulos paucis refellemus.

Primus igitur error fuit, causam formalem justificationis nostræ solam esse fidem. Id enim Lutherus disertis verbis posuit in comment. ad 2. cap. epist. ad Galatas, et Philippus in ipsa Confessione Augustana, art. 4. et quamquam Lutherani omnes, tum rigidi, tum molles, ab hoc errore jam recessisse videantur, ut supra notavimus ex colloquio Altemburgensi: nihil tamen oberit, si hunc ipsum errorem breviter confutemus.

Primum, in ipsa epistola ad Galatas, cap. V. Apostolus, cum dixisset: *Nos autem spiritu ex fide spem justitiæ expectamus*: subjunxit continuo: *Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur* (4). Ubi verba illa, *Ex fide spem justitiæ expectamus*, duobus modis intelligi possunt. Uno modo, ut sensus sit, ex fide speramus vitam æternam, quæ est merces justitiæ. Sæpe enim Apostolus ponit spem pro ea re, quæ speratur, ut ad Tit. II. *Expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei* (5). Itaque spes justitiæ erit id, quod justitia sperat, id est, quod justitiæ debetur, videlicet, præmium vitæ beatæ. Altero modo, ut sensus sit, ex fide spem justitiæ expectamus, id est, ex fide speramus, nos posse justificari. Utrumque sensum attigit sanctus Augustinus in libro de spiritu et littera, cap. 32. Sed hic posterior simplicior et magis congruens cum præcedentibus verbis esse videtur: et tamen uterque in idem recidit; cum ex utroque id manifeste colligatur, ex fide, non ex lege, aut operibus ante fidem factis, hominem justificari.

At ne daretur occasio errandi, explicuit idem Apostolus, quæ fides sit illa, quæ justificat, cum ait: *Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, id est, neque lex circumcisis data, neque opera gentilium, in præputio facta, justificant,*

non est justus per imputationem, neque per solam inhabitationem justitiæ increatæ, sed justus est vere ac proprie, etiam ut homo, per creatam et inhærentem sibi justitiam, ex qua justissima opera faciebat: igitur et nos si similes, si fratres, si imagines ejus esse debemus, justitiam veram et inhærentem habere necesse est. Nam si re ipsa injusti et solum putative justii simus, magis diaboli, quam Christi imaginem geremus. Rectius enim denominamur ab eo, quod sumus quam ab eo, quod esse putamur. Præterea terreni hominis, id est, Adami peccatoris? veram imaginem portavimus, quoniam peccatum in nobis non putative, sed vere et re ipsa inhærebat, igitur et Christi veram imaginem geremus, si justitia nobis putative, sed vere ac re ipsa inhæreat.

Septimum testimonium est in epist. ad Romanos, cap. VI, ubi Apostolus docet, nos per justificationem, qua morimur peccato, et resurgimus justitiæ, representare Christi mortem et resurrectionem. Et inter alia dicit: *Qui mortuus est, justificatus est a peccato*. Quod etiam significavit Apostolus Petrus in priore epist. cap. IV. cum ait: *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini. Quia qui passus est in carne, desuit a peccatis* (1). At Christus non putative, sed vere mortuus est et vere resurrexit. Igitur et nos non putative, sed vere morimur peccato, et resurgimus ad justitiam, cum per baptismum justificamur.

Octavum testimonium est in epist. ad Romanos, cap. VIII. ubi Apostolus scribit: *Nos jam per Christum accepisse spiritum adoptionis filiorum Dei quoad animam quæ vivit* (ut ibidem dicit) *propter justificationem, quamvis corpus mortuum sit* (id est, adhuc mortale sit) *propter peccatum*. Sed paulo post addit: *Nos jam primitias spiritus habentes, intra nos gemere, expectantes adoptionem filiorum Dei, redemptionem corporis nostri*. Nam ut idem ait ad Philippens. III. *Salvatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* (2). Atqui adoptio filiorum, quam expectamus in redemptione corporis, verissima erit, et inhærens in ipso corpore, id est, immortalitas et impassibilitas, non putativa, sed vera. Igitur adoptio quam nunc habemus in Spiritu per justificationem, vera etiam esse debet, non putativa. Alioqui, sicut expectamus redemptionem corporis, ita quoque expectarem redemptionem animæ.

(1) Tit. III, 4. — (2) Heb. XI, 4, 7. — (3) Gen. VI, 9; Psal. CXVIII, 1. — (4) I Joan. III, 7. — (5) Rom. VIII, 29; I Corin. XV, 49.

(1) Pet. IV, 1. — (2) Rom. VIII, 15, 23. — (3) Phil. III, 20. — (4) Gal. V, 5. — (5) Tit. II, 13. TOM. VI.

« sed fides » ; non quaecumque autem fides, sed quæ per dilectionem operatur, id est, fides, quæ agitur, ac movetur, formatur, et quasi animatur per dilectionem. Quod si charitas est forma fidei, et fides non justificat formaliter, nisi ab ipsa charitate formata, certe multo magis charitas ipsa justificat.

Huc etiam pertinent illa testimonia, quæ indicant, solam fidem non sufficere, ut I ad Corinth XIII. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et Jacob XX, *Fides sine operibus mortua est.* Et illa, quæ docent necessariam esse charitatem, ut I Joann. III. *Qui non diligit, manet in morte. Et nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres* (1).

Deinde, potest hoc idem probari ex Patribus, qui docent, fide tantum inchoari justitiam, perfici vero per dilectionem, quos citavimus libro superiore, cap. 17; quibus addi possunt duo testimonia sancti Augustini. Unum ex libro de spiritu et littera, cap. 29, ubi dicit, dici, fide impetrari justificationem : « Justitiam, inquit, quæ ex fide est, impetrando ex Deo, non ex semetipsis præsumendo. » Et infra : « Opus, quod qui fecerit, vivet in eo, non fit nisi a justificato. Justificatio autem ex fide impetratur. » Et serm. 15. de verbis Apostoli : « Justitia sit, sed ex gratia sit, a Deo tibi sit, non tua sit. » Et mox de eadem : « Geme, ut impetres, plora ut impetres, crede ut impetres. Qui invocaverit nomen Domini, salvus erit, justus erit. » Quod si fides impetrat justificationem, certe non formaliter sola ipsa justificat. Nam si formaliter ipsa sola justificaret, esset homo formaliter justus, antequam justificationem impetraret, cum fidem habeat ante impetrationem justitiæ, atque ita esset justus antequam esset justus.

Alterum testimonium est in lib. de natura et gratia, cap. ult. ubi justitiam sanctus Augustinus in ipsa charitate constituit : « Charitas, inquit, inchoata, inchoata justitia est; charitas provecata, provecata justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est ».

Tertio, probatur ratione, ducta ex natura ipsius fidei et justitiæ. Nam justitia res est adeo bona, ut cum nullo alio bono pugnet, et ideo adjunctione aliorum honorum, non minuatur, nec desinat esse, sed perficiatur semper, et crescat, ut perspicuum est ex eo,

(1) I Cor. XIII, 2; Jacob XX, 26; I Joan. III, 14.

quod invenitur in beatis, in Christo, et in ipso Deo. At fides repugnat beatitudini, neque in Deo, aut in Christo unquam fuit, neque in Angelis, et hominibus manet, cum beati esse incipiunt : non igitur fides est ipsa formalis justitia, nisi inchoata et imperfecta.

Præterea justitia facit nos Christo similes, et per eam gerimus Christi imaginem, ut supra probatum est ex cap. VIII ad Roman. et cap. XV, prioris ad Corinthios. At fides non facit nos Christo similes, sed potius aliquo modo dissimiles, cum in Christo fides non fuerit, quippe qui faciem Patris semper viderit. Ad hæc justitia virtus est, per quam lex divina completur; at plenitudo legis non est fides, sed charitas, Apostolo teste, ad Roman. XIII.

Denique, justitia non potest esse informis, et mortua, cum ipsa sit animæ vita, nec possit fieri, ut quis eodem tempore sit peccator et justus, hoc est, mortuus secundum Spiritum, et secundum spiritum vivus. At fides informis et mortua esse potest, ut libro superiore probavimus ex Apostolo Paulo I ad Corinth. XIII. et Apostolo Jacobo, cap. II; non igitur sola fides est nostra integra, formalis que justitia.

Sed occurrendum est Luthero et Calvino, qui freti testimonio Prophetæ Habacuc : *justus ex fide vivit*, miris modis exagitant distinctionem fidei in fidem formatam et informem. Et Lutherus quidem in comment. ad cap. 3. ad Galat. eam distinctionem Satanicam et pestilentem vocat : Calvinus in lib. III. Institut. cap. 2. §. 8. nugatoriam, putidam et insulsam nominat. Et quoniam ipse quoque fatetur, quamdam fidem, videlicet historicam, separatam esse posse a charitate, et non justificare. Ne cogatur fidem informem admittere, dicit, duas esse formas fidei, quarum una justificat, altera non justificat. At Calvinus distinctio in duas formas fidei, ad verborum novitates relegari debet. Nusquam enim Scriptura, vel traditio Ecclesiastica duas istas formas, sed unam fidem ubique prædicat.

Distinctio vero unius fidei in formatam et informem ab Apostolis Christi Paulo et Jacobo manifestissime traditur. Nam quid, quæso, interest, si dicamus fidem vivam et mortuam; vel formatam et informem? Certe enim res viva, per aliquam formam vivit, et res mortua propter absentiam alicujus formæ mortua est. Fidem autem vivam et mortuam Jacobus appellat in epistola sua, cap. 2. Sed

Apostolus Paulus non solum docet, fidem charitate formari, sed etiam explicat dilectionem formam esse extrinsecam fidei, non intrinsecam, et quæ det illi, non ut sit, sed ut moveatur; ac per hoc fides sine dilectione non desinat esse fides, sed desinat esse res actiosa et operans. Sic enim Apostolus ait ad Galat. V. *Fides per dilectionem operatur* (1). Ubi illud (operatur) passive accipiendum est, non active. Est enim in Græco ἐνεργουμένη, id est mota atque acta.

Itaque sensus Apostoli est, fidem a charitate agi et moveri, quo modo a spiritu movetur, et agitur corpus. Ac per hoc dilectionem non esse signum viventis fidei, ut adversarii dicere solent, sed esse ipsam vitam fidei, et fidem sine dilectione similem esse corpori sine spiritu, ut rectissime scribit Jacobus. Recte igitur Catholici dicunt, fidem sine charitate esse informem, et cum charitate formatam. Et non recte Calvinus duas facit fidei formas; nam cum duæ sint formæ, numquam potest una fieri altera; fides autem informis, formata fieri potest, et quæ formata est, reddi potest rursus informis.

Piget autem multis refellere ineptias et nugas Lutheri. Colligit enim, si charitas sit forma fidei, sequi, ut charitas sit præstantior fide, et in ea sita sit summa Christianæ religionis; et inde obscuretur Christus, ejusque beneficium; et omissa fide incipiunt homines niti dilectione et moralibus operibus; quærit etiam, an Spiritus sanctus non potuerit, si veritas id postulasset, per Prophetam dicere, Justus ex fide formata vivit; denique addit, charitatem ad legem pertinere, fidem autem non ex lege, proinde neque esse ex charitate, ac per hoc nullo modo charitate formari.

Respondeamus totidem fere verbis, charitatem præferri fidei libenter admittimus, neque id absurdum videri potest, nisi hæretico, qualis fuit Lutherus, qui Apostolo repugnare non vereatur. Quid enim clarius dici potuit, quam quod ait Apostolus I ad Corinth. XIII : *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas* (2)? In eadem charitate sitam esse summam Christianæ religionis, numquam Lutherus negasset, si Christum audire voluisset in Evangelio suo dicentem : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Et : In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem, Joan. XIII. et Apostolum

exhortantem : *Super omnia hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* (3), ad Coloss. III. et sanctum Augustinum, qui tract. 83. in Joannem brevissime demonstrat, summam Christianæ religionis redigi ad charitatem, non ad fidem, quoniam qui diligit, necessario etiam credit et sperat. Non autem omnis qui credit, continuo etiam sperat et diligit.

Obscurari autem Christum, et ejus beneficia, si charitas ita magni fiat, ut fidei forma esse dicatur, tam est consequens, quam Solum contemni ab eis, qui ejus luce cupide fruuntur. Quid enim est charitas, nisi summum Christi beneficium? *Charitas enim diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hoc autem donum, nonne Christus ipse ad Patris dexteram exaltatus effudit, ut Apostolus Petrus ait Actor. II. Neque periculum est, ne fidem negligant, aut in operibus moralibus per solas vires liberi arbitrii factis, spem ponant, qui charitatem in primis prædicant. Sciunt enim charitatem sine fide in hac vita esse non posse, et charitatem laudant, non quæ ex lege, aut ex viribus liberi arbitrii, sed quæ ex Deo et ejus gratia possidetur.

Porro non deerant verba Spiritui sancto, quibus per Prophetam suum illud efferret; Justus ex fide formata, aut etiam ex charitate vivit, sed maluit dicere, ex fide vivit, vel quia non loquebatur de vita justitiæ, sed vita spei, quæ justum patiente expectare facit : vel quia commendare voluit id, unde id, unde initium duci vita justorum. Sed sicut per Prophetam spiritus sanctus vitam justorum tribuit fidei, quoniam inde inchoatur; sic per Apostolum eandem vitam tribuit charitati, quoniam inde perficitur : *Translati sumus* (inquit Joannes in epist. I cap. III. *de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et : *Qui non diligit, manet in morte* (4).

Quis autem ferat charitatis donum, quod est ipse nucleus (ut sic loquar) Evangelii, transferri ad legem, et opponi fidei? si charitas ad legem pertinet, quia lex charitatem præcipit : cur non etiam fides relegatur ad legem, cum multe sint in lege de fide præcepta? « De fide (inquit S. Augustinus tract. 83. in Joan.) quam multa mandata sunt? quis potest uncta colligere? quis enumerando sufficere? » Eat igitur Lutherus et fidem cum charitate ab Evangelio separet; et legem

(1) Gal. V, 5. — (2) I Cor. XIII, 13. — (3) Joan. XIII, 34; Col. III, 14. — (4) I Joan. III, 14.

scriptam in cordibus, dicat non esse testamentum novum, ut Hieremias prædixit cap. 31. sed testamentum vetus, et omnia more suo invertat, atque confundat. Itaque præceptum charitatis, ut etiam fidei ad legem pertinet, Spiritus autem charitatis et fidei ad Evangelium. Sed de discrimine legis et Evangelii plura dicemus, cum controversiam de justitia operum et legis observatione tractabimus.

CAPUT V.

Formalem causam justificationis non esse justitiam Dei essentialem, ac divinam.

Secundus error Osiandri est, qui justificari hominem dixit per illam ipsam justitiam, qua Christus non ut homo, sed ut Deus essentialiter justus est. Refellitur hic error ab Apostolo ad Roman. iv. ubi ex proposito de justificatione disseritur; et apertissime demonstratur, justitiam, per quam justificamur, esse fidem, vivam videlicet et per dilectionem operantem; illam enim fidem Deus pro justitia habet; et quia Deus non fallitur; eadem fides vere justitia est, et justitia fidei nominatur: *Credenti*, inquit, *in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam*. Et infra: *Dicimus, quia reputata est Abrahamæ fides ad justitiam*. Et infra: *Signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam*. Et similia habentur ad Galat. iii: *Nos fide spem justitiæ expectamus; nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur* (1). Quod si fides per dilectionem operans, est illa justitia, per quam justificamur, certe non justificamur per justitiam Dei essentialem, nisi quis ita desipiat, ut fidem nostram justitiam Dei essentialem esse definiat.

Secundo, refellitur ex Augustino, qui sæpissime repetit et inculcat, nos justificari justitia Dei, non qua ille justus est, sed qua nos justos facit. Libro de spiritu et littera, cap. 9: « Sicut, inquit, fides Christi dicta est, non qua credit Christus, sic justitia Dei, non qua justus est Deus. » Et paulo ante: « Justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, dum justificat impium. » Et cap. 31. di-

(1) Gal. III, 6, 15.

cit, Justitiam, qua justificamur, dici justitiam Dei, sicut dicitur charitas Dei, qua Deum diligimus, et fides Dei, qua in eum credimus, et salus Dei, qua salvamur. Et in epist. 120. cap. 30: « Ignorantes, inquit, Dei justitiam, qua nos ejus gratia justus sumus, ut ipsa Dei justitia nos simus, cum juste vivimus credentes in eum, qui justificat impium, non illa, qua ipse justus est, æterna sua et incommutabili justitia ». Et in libro iii. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 7. « Non propterea, inquit, justitia Dei dicitur, quoniam Deus justus est, sed quia homini ex Deo ». Similia repetit in lib. de gratia et libero arbitrio cap. 12. et alibi sæpe.

Tertio, refellitur rationibus variis. Prima ratio. Justificatio præcedit inhabitationem Dei, non igitur homo justificatur per justitiam essentialem inhabitantem. Justificationem præcedere testatur Scriptura Sapient. i. ubi dicitur Spiritus sanctus non habitare in corpore subdito peccatis. Testatur item Augustinus in epist. 10. ad Sixtum: « Post remissionem, inquit, peccatorum, nisi mundatam domum habitet Spiritus sanctus, nonne cum aliis septem redit spiritus immundus. Ut autem in habitet Spiritus sanctus, nonne ubi vult spirat, et charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non a nobis, sed a Spiritu sancto, qui datus est nobis? » Hic videmus, prius remitti peccata, et mundari domum, et ornari etiam charitate, ut in illa Spiritus sanctus habitare digatur.

Neque his repugnat, quod Spiritus sanctus prius dari videtur, quam charitas diffundi, cum ipse sit, qui eam diffundit, et peccata remittit. Nam, ut idem Augustinus ait serm. 11. de verbis Domini: a quo mundamur, accipiendo indulgentiam, ipsum accipimus habitantem ad faciendam, augendam, perficiendamque justitiam. » Et in epist. 105. « Aliter adjuvat Spiritus nondum inhabitans, aliter inhabitans; adjuvat enim, ut efficiamur fideles, cum non inhabitat; cum vero inhabitat adjuvat jam fideles. Itaque purgat, et justificat, ut purgatos et justificatos inhabitet. » Et hoc idem aperte Scriptura: demonstrat, cum dicit ad Ephes. iv. Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Et I Joan. iv. cum, qui manet in charitate, in Deo manere, et Deum in eo. Quia nimirum non habitat Deus in nobis, nisi fides charitasque præcedant. Inhabitatio igitur

Dei non facit justos, ut Osiander existimat, sed jam justificatos Deus inhabitans adjuvat (ut loquitur Augustinus) ad faciendam, augendam, perficiendamque justitiam.

Secunda ratio. Si essemus justus, justitia Dei essentiali nos inhabitante, essemus omnes æque justus atque ipse Christus. Nam ipse quoque non aliter justus esse posset, nisi per justitiam Dei essentialem, si Deus nullam justitiam acceptat, nisi suam essentialem, ut Osiander somniat. At Scriptura, Joan. i, disertis verbis testatur, nos omnes de plenitudine Christi accepisse; et ad Ephes. iv, unicuique nostrum dari gratiam secundum mensuram donationis Christi, non igitur justus sumus justitia illa essentiali, sed justitia creata, quæ major et minor esse, et sub certam mensuram cadere potest.

Tertia ratio. Scriptura docet aliquos homines vere esse justos, ut Noe, Genes. vi, Zachariam, Lucæ xi, Abel et multos alios, ad Hebræos xi. At non potest homo vere denominari a forma extrinsecus inhabitante, sed solum ab inhærente, alioqui enim, si satis est justitia in habitans, ut vere justus esse dicamur, cur non dicimur etiam immortales, æterni, beati, omnipotentes, cum immortalitas Dei, æternitas, beatitudo, omnipotentia et alia omnia ejus attributa non inhabitent? et cur non dicuntur omnes homines justus imo et omnes lapides, omnia ligna, omnia sidera, cur non recte dicentur, si inhabitatio Dei denominationem illam tribuere potest? Quamvis enim non inhabitet Deus omnia per fidem et charitatem, tamen per potentiam essentialem et presentiam omnia prorsus inhabitat. Osiander autem non facit nos justos, quoniam per fidem et charitatem inhabitamur, sed quoniam a justitia essentiali simpliciter inhabitamur.

Quarta ratio. Si nullam justitiam Deus acceptat, nisi suam essentialem, ac propterea per illam nos inhabitat, ut justos efficiat; certe sequitur, ut Christi justitiam, qua is pro nobis Patri satisfacere patiendo et moriendo voluit, Deus non acceptet. Illa enim Christi justitia, justitia fuit creata, non divina et essentialis. Quod si Christi justitia Patri non satisfecit, quorsum ille carnem suscepit? quorsum tanta pati voluit? quorsum humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis? numquid ut tantis sumptibus nihil redimeret?

(1) Isai. LIII, 11; Rom. III, 25; V, 9.

At longe aliud nos docent Isaias et Paulus. Ille enim cap. LIII. scribit de Christo: *Justificavit ipse justus servus meus multos*. Et iste ad Rom. III. et V. *Reconciliatos* nos dicit, *Patri in sanguine filii sui* (1). Quid Apostolus Joannes? an non affirmat in epistola I. cap. i, sanguinem Christi mundare nos ab omni peccato? Et cap. II. Christum propitiationem esse pro peccatis totius mundi.

Denique, nihil frequentius omnis Scriptura testatur, quam Christi passionem et mortem, plenam, atque perfectam satisfactionem fuisse pro peccatis. Quare Osiandri sententia recipi non potest, nisi quis velit totum mysterium humanæ redemptionis et reconciliationis evertere.

Neque argumenta, quibus ille nititur, aliquid soliditatis habent. Præcipua sunt: quoniam B. Petrus in epist. II cap. i. scribit, nos effici divinæ consortes naturæ: et quia Deus non acceptat ullam justitiam, nisi suam. Sed apostolus Petrus non dicit, nos effici divinæ consortes naturæ per inhabitationem justitiæ essentialis. Hæc enim est glossa Osiandri, non sententia B. Petri.

Quomodo autem efficiamur divinæ consortes naturæ, indicat ipse idem, cum ait: « Ut per hæc efficiamur etc. ». Illud autem, « hæc », refert sententiam præcedentem, « Per quem nobis maxima et pretiosa promissa donavit ». Ubi nomine promissorum intelliguntur res promissæ, non ipsæ promissiones, non enim donantur promissiones proprie loquendo, sed dona, quæ fuerant promissa. Itaque donavit nobis Deus per Christi merita res maximas, et pretiosas, quas ante promiserat, et per hæc dona facti sumus divinæ consortes naturæ. Quoniam per hæc dona efficiamur filii Dei, et cohæredes Christi, et hoc modo participamus naturam Dei, quomodo filii participant naturam patris; unde est illud: *Ego dixi, Dii estis, et filii excelsi omnes*. Ubi dicuntur Dii, id est, divinæ consortes naturæ, qui Filii sunt Dei. Quæ sint autem dona, quæ nos filios Dei faciant, explicat Apostolus Joannes in epist. I. cap. II. cum ait: *Videte qualem charitatem dederit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, et simus*. Et cap. IV. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*. Et ibidem: *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*. Et ipse B. Petrus ideo, posteaquam dixerat: *Ut divinæ efficiamini consortes natu-*